

DISPUTATIO ALTERA.

DE

Ι Λ Α Σ Μ Ω

dolentibus conscientias constituto.

**I**OANNIS Apostoli Theologi Epistola catholica prima, ex qua argumentum nostrum tempore passioni Dominicæ sacro selegimus, ipso sui initio ostendit, quam plane pleneque (in usum catholicæ ecclesiæ) Summam totius doctrinæ cælestis ac Christianæ, vna cum elencho necessario, comprehendat. In primo enim Capite Ioannes expresse designat scopum totius epistolæ, qui sit *Unio* cum Deo v. 3. Quia vero Deus pura Lux est, ac nequaquam in ipso vllæ sunt tenebræ v. 5. vt inde *Unio* hæc cum regno *peccati* consistere haud possit v. 6; peccatum tamen in nobis omnino sit. v. 8, 10: propterea, tollendi scilicet huius impediementi causa, vt intelligatur, quo pacto *Unio* cum Deo obtineri queat, fundamentum totius tractationis ponit *Christum*. Idque non modo v. 7. quo de *κοινωνία* expresse agitur, sed & ipso v. 1. 2. & passim in sequentibus. Ac vt saluus semper sit maneatque *finis* v. 3. expressus: Post doctrinam de remissione peccatorum in Christo, illico sequitur cautela: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ne peccetis.* 1. Ioh. II, 1. sed & hic circumspicit omnia Apostolus. Posset enim Diabolus abuti *dolore conscientie* de peccatis olim admissis 1. Ioh. I, 10. Fideles, etiam vere

C

con-